Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2817

Quelle:
Copyright:

feriorem *fol.* 1. notatur *Frater Matheus Hemerlin de Memingen*, fortaſſis O. S. Aug. et Autor.

II. *fol.* 57. p. 2. *Sermones VI. de S. Maria Magdalena.* Initium primi: *Maria optimam partem elegit, que non auferetur ab ea in eternum. Luc. XI. In hoc verbo duo proponuntur ad laudem ſancte marie magdalene* &c. Nihil eximium prae antecedentibus.

III. *fol.* 153. *Catalogus breuis omnium preſulum Saltzpurgen.* Ad *Catalogum* hunc cum illo comparatum, quem *Marc. Hanſizius Germ. Sacrae* T. II. p. 1034. exhibet, ſequentia obſervo. S. *Ruperti* obitum ſtatuit ad *diem paſce Anno Domini DC* XXIII. quemadmodum vetus Calendarium Capituli *Salisb.* cujus fidem infirmat *Hanſizius* in *Corollar. ibid.* p. 919. Poſt *Vitalem* inſerit *Anſologum*, *Sauolum* et *Ezium*, quos *Abbates* tantum *S. Petri* fuiſſe *l. cit.* contenditur. Non abnuit Noſter; *Sauolo* enim ſubjicit: *In catalogo iſtorum epiſcoporum quinque abbates continentur. qui absque pontificali ordine et dignitate regebant epiſcopatum Iuuauenſem. Hi vero ſunt Anſologus, Sauolus, Ezzius, Bertricus et Ammilon. Flobargiſum*, de cujus aetate nihil ſtatuit *Hanſizius*, electum ait a. DCCXXI. et rexiſſe annis XXIV. In anno emortuali *Virgilii* DCCLXXXIV. cum *Hanſizio* congruit, atque illi *Berchtricum* et *Arnoni Amilonem* ſufficit, quos tamen jam prius Abbates meros dixit. Poſt *Piligrimum* I. comparent diſtincti *Ludebertus* et *Odilbertus*, ut in *Chronico Caniſiano* et apud *Hundium*, quos emendat *Hanſizius cit.* p. 145. cujus Chronologia incipiendo ab *Egilolfo* ſic ſatis cum Noſtro conſpirat. Omittit tamen hic *Conradum* III. puto, quod is ad Eccleſiam ſuam *Moguntinam* redierit, et *Burchardum* I. fortaſſis ob breve regimen, et fiſtit demum in *Bernhardo de Ror* his verbis: *Electus eſt in Archiepiſcopum, Anno Domini M. CCCC. LXVI. In die ſancte Walpurgis virginis vtique verus amator cleri et cultor ſanctorum locorum, humilisque obſecutor beate Marie virginis. Quem Deus.* Quae verba cum recitet *Hanſizius* p. 517. liquet, illi Exempli noſtri notitiam et uſum fuiſſe.

IV. *fol.* 160. *Epiſcopi Eccleſie Chiemen.* Quae de Epiſcopatus erectione praemittuntur, caſtigata repraeſento: *Anno domini. M. CC. XIX.* (1215) *Eberhardus primus Brixinen. poſtea eiusdem nominis ſecundus Saltzpurgen. eccleſie Archiepiſcopus XVIII.* (ſi de confecto negotio intelligas) *pontificatus ſui Anno. Sub Innocentio papa* 4°. (III. ſub quo negotium coepit) *conſentiente ſibi capitulo ſuo. III. kal. Januarii* (1217) *Epiſcopatum in Inſula Chiemen. inſtituit. Quem poſtmodum Alexander* (Honorius III. Innocentii III. 1216. Succeſſor) *Papa neapoli confirmavit primo pontificatus ſui anno IX. kalen. Januarij* (III. kal. Jan. anno praedicto.) *Dictus Eberhardus Archiepiſcopus prefati Epiſcopatus electionem ſibi et ſucceſſoribus ſuis reſeruauit. Et primum epiſco-*